



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

V. Explicantur diuisiones quædam substantiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

quod magis extrema illarum linearum inter se distant, eò magis immediata, & proxima erunt centro, à quo ducuntur, & diuiduntur: sed potius eò magis remota, ac distita ab illo erunt: ita similiter non quod magis duæ aliquæ rationes inter se distant, eo ipso alicui rationi superiori, quam diuidunt, & à qua serie quadam ducuntur magis immediatæ, & proximæ erunt; aut diuisio, quæ per eas fit, diuisio propior, & ordine naturæ prior erit. Quid? quodd substantia Deum reipsa complectitur, quem tamen accidens non complectitur: eo, quodd Deus cum substantia sit, accidentis tamen omnis expertus sit: ac proinde substantia, & accidens infinite inter se distant: haud secus ac ens creatum, & increatum: quare diuisio entis in communi immediata erit, non solum respectu horum, verumetiam respectu illorum.

18 Præterea circa eam diuisionem dubitari potest, quousque eius membra diuidentia inuicem distinguantur? Nonnulli Thomistæ cum Soncinæ 7. metaphys. quæst. 36. tuerentur, oportere accidens distinguui à substantia, tanquam rem à re, siue distinctione reali absoluta: cum enim modus realiter absolute substantiæ identificetur, magis substantia ipsa, quam eius accidens erit: vt ergo aliquid accidens sit, modus non sit, necesse est. Verum hæc sententia tuenda non est: quia actio, duratio, & vbicatio accidentia vera, & realia sunt, vt aduersarij etiam fatentur, & constat ex eo, quodd inter nouem prædicamenta accidentalit computentur: & tamen modi sunt, & à substantia tantum modaliter, siue ex natura rei distinguuntur. Quod autem in contrarium obiicitur, parum vrget: siquidem identitas reali absoluta coherens cum distinctione reali modalis, quam supra lib. 2. summam, & nulla minorem ostendimus, vera identitas non est, sed tantum identitas secundum quid: vnde modus substantiæ verè, & propriè non substantia, sed accidens erit.

19 Alij apud Patrem Suarez disputatione 3. 2. metaphys. sect. 1. num. 21. sentiunt, de ratione accidentis non esse ullam distinctionem realem etiam modalem, sed sufficere distinctionem solius rationis: videlicet, quia prædicamentum vnus accidentis sola ratione interduum distinguatur à prædicamento alterius accidentis, vt in actione, & passione cernere est: ergo etiam prædicamentum accidentis alicuius interdum à substantia prædicamentali sola ratione distinguetur. Verum hæc etiam sententia probanda non est: quia accidens verè, & propriè alicui accidit, aut intrinsecè, aut certè extrinsecè, vt vel ex ipso nominis etymo liquet: at accidens non nisi substantiæ tandem accidit verè, & propriè: ergo à substantia verè, & propriè distinguitur: aliàs sibi metipso verè, & propriè accidet: quod manifestè absurdum est. Rursus in Deo verum, & reale accidens nullatenus reperitur: si ad verum, & reale accidens sola distinctio rationis sufficeret, in Deo verum, & reale accidens reperiri posset, cum immensitas, æternitas, aliaque eius attributa ab eo ratione nostra distinguantur: ergo, &c. Maior est omnium Theologorum cum Augustino lib. 5. de Trinitate, cap. 4. ibi: *Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile, aut amissibile*: & cum Cytillo lib. 1. thesauri cap. 1. ibi: *Accidens Deo nullum inesse potest, perfectio enim ex seipso nihil accidere potest*. Quod autem in contrarium obiicitur, duntaxat conuincit, accidens aliquod sola ratione distinguui posse ab aliqua substantia, vna, vel multiplici, verbi gratia, relationem prædicamentalem similitudinis à duplici substantia, quæ inuicem assimulantur. Cæterum non conuincit, accidens ratione tantum distinguui posse ab ea substantia, cuius verum, ac proprium accidens

est: si enim inter id, quod accidit; & id, cui accidit, necessaria est aliqua distinctio, vbi accidens verè, ac propriè tale sit, distinctio impropria, & solius rationis esse non poterit.

Postremò circa eam diuisionem dubitari potest, an possibilis sit substantia aliqua etiam creata omnis accidentis expertus, siue omnis compositionis accidentalit impos: Quamuis autem partem negantem communiter supponi magis, quam probari, aut etiam in controuersiam reuocari videam: nullam tamen repugnantiam comperio in eiusmodi substantia, quæ ab omni accidenti immunis sit, quæque per seipsam sit in loco, sit in tempore, & suos producat effectus, & à suis causis producat: etenim talis substantia non esset immutabilis, vt aliqui videntur insinuare: merito enim distinctionis realis virtualis; aut, si maior, solius rationis inter eius essentiam, & existentiam substantialem ab esse ad non esse, & à non esse ad esse mutari posset, quæ summa mutabilitas est. Rursus ea substantia non esset summe, & infinite simplex more naturæ diuinæ: tum quia haberet compositionem virtuale, quam in Deo minime reperiri probabile esse multi putant. Tum etiam quia eiusmodi substantia omnis compositionis accidentalit; & quod fortè consequens est, substantialit expertus, æquiuvalenter composita esset, & perinde à Deo destrui posset, ac si formaliter composita esset, partesque dissolubiles, & interitui obnoxias haberet: ad summam autem, ac infinitam simpliciter simplicitatem oportet, vt quod ea pollet, omnem compositionem etiam æquiualentem excludat: qua ratione ad summam, & infinitam perfectionem Dei attinet, vt perfectiones omnium rerum creaturarum æquiuvalenter contineat: haud aliter ac perfectiones proprias formaliter continet.

Non me præterit, complures Patres oppositum innuere: vnus pro omnibus sufficiat Augustinus, cuius hæc sunt verba lib. 6. de Trinit. cap. 6. ibi: *Creatura quoque spiritualis, sicut est anima, est quidem in corporis comparatione simplicior: sine comparatione autem corporis multiplex est etiam ipsa non simplex: nam ideo simplicior est corpore, quia non mole diffunditur per spatium loci, sed in vnoquoque corpore, & in toto tota est, & qualibet eius parte tota est: & ideo cum sit aliquid in quauis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quamuis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia tota non latet; sed tamen etiam in anima, cum aliud sit, artificiosum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud letitia, aliud tristitia: possintque & alia sine aliis, & alia magis, alia minus innumerabilia, & innumerabiliter in anime natura inueniri, manifestum est, non simplicem, sed multiplicem esse naturam: nihil enim simplex mutabile est, omnis autem creatura mutabilis*. Verum hoc testimonio, & aliis similibus id tantum conuincitur, solum Deum esse summe, & infinite simplicem; nullamque creaturam factam, aut factibilem ea simplicitate præditam esse. Hoc autem quatenus cum nostra sententia cohereat, in eius probatione nuper vidimus.

C A P V T V.

Explicantur diuisiones quedam substantia.

Substantia dissecare consuevit in primam, & secundam: hæc est iuxta Aristotelem, quæ de subiecto quidem dicitur, in subiecto autem non est, veluti homo, qui de subiecto multiplici Petro, verbi gratia,

& Paulo prædicatur, quin tamen sit in subiecto, sed potius ens per se: illa verò, quæ, neque de subiecto dicitur, neque in subiecto aliquo est, veluti hic homo nimirum Petrus, qui neutiquam enuntiatur de multiplici subiecto, cum careat inferioribus, aut quod perinde est, de nullo tanquam ratio superior, nec etiam est in subiecto, sed ens per se ritu hominis ut sic: quamobrem utrique substantiæ commune est non esse in subiecto, quod qua ratione intelligendum sit, constabit inferius: in eo verò dissident, quod altera sit de subiecto, secus verò altera. Quamvis autem hanc diuisionem esse propriè talem censeant Commentator, Boëtius, Porphyrius, Simplicius, & alij. Ceterum cum Ammonio cap. de substantia verius arbitror esse meram enumerationem, non verò diuisionem strictam.

23 Siquidem membra diuidentia debent esse talia, ut quodlibet eorum sit in se vnum: unitates enim solæ multipliciter, ac diuisionem patiunt: unitas autem hæc haud potest esse indiuidualis: nam ratio communis propriè non diuiditur in indiuidua, sed potius per ea enumeratur, ut patebit in loco, utque ex eo colligere est, quod diuisio illa foret per infinita inferiora, totidem enim sunt indiuidua cuiusvis speciei: diuisio autem propriè sumpta, ac doctrinalis, & in scientiis visitata, de qua tantum sermo, pauca petit inferiora, non plurima, nedum infinita: debet ergo supradicta unitas esse vniuersalis, & vel generica, vel specificata: atqui prima substantia siue, quod instar est, indiuiduum non habet eiusmodi unitatem, nec datur illius ratio communis, sed vox duntaxat, alioqui esset, & non esset indiuiduum, de quo fusè in Dialect. lib. 9. tract. 4. nequit ergo substantia per primam, & secundam diuidi. Idem argumentum confici potest in eorum sententia, qui substantiam secundam, siue vniuersalem renunt esse rationem communem, & vnam ad hanc, & illam. Id autem reuertit ferè omnes qui admittere nolunt prædicabile, aut vniuersale, ut sic, esse genus ad quinque vulgatas species vniuersalium. Deinde substantia illa abstracta à prima & secunda, & in vtramque propriè diuisa, esset & non esset formaliter secunda substantia: non esset quidem, quia abstrahitur ab illa: esset autem, quia est vniuersalis: at substantia vniuersalis eo ipso est secunda, quemadmodum substantia singularis & indiuidua hoc ipso est prima. Rursus, si, quod sentit P. Suarez infra citandus, diuisio illa facta est ab Aristotele penes solas intentiones primas, sanè substantia prima includet secundam, homo v.g. Petrus: quare tam inepta erit diuisio illa, ac viuentis diuisio in animal & hominem. Alia esset ratio si diuisio ea foret penes secundas intentiones: ita enim membra diuidentia essent diuersa, & inuicem non inclusa, sin minus ex ex parte obiecti, at certè ex parte modi, actusve, ut dicitur lib. 7. tract. 10. cap. 7. de obiecto partiali, & totali, quatenus obiectum in communi dispescunt: quocirca eiusmodi diuisio haud velut talis propriè, exactæ ad leges bonæ diuisionis est accipienda, haud nisi ut enumeratio quædam, sicut animaduersum: quemadmodum enim dici solet, in oratione esse dictiones syllabas, & litteras, non tamen propterea in eas diuiditur rigorosè; ita dici consuevit in serie prædicamentali, per quam à substantia descenditur in sua inferiora, esse primam substantiam, & secundas, nulla tamen ob id in illas propria diuisione facta.

24 Pinge tamen eam diuisionem esse propriam: quodnam inquit est eius diuisum? P. Suarez docet, esse substantiam secundum rationem substandi accidentibus: Albertus, secundum rationem subsistendi, siue

terminandi supposititalitatem, personalitatemve: Caietanus, esse substantiam prædicamentalem, siue directè possibilem in prædicamento. Quidam alij, esse substantiam, prout est essentialiter; & quidditatiuè substantia. Res est parui momenti: ac dici potest, omnibus modis usurpari posse substantiam, quatenus dissecatur in primam, & secundam:

25 Quæres rursus circa membra diuidentia, sint ne talia penes intentiones primas, an verò penes secundas; P. Suarez disp. 3. metaph. sect. 2. num. 9. & 10. docet esse penes solas intentiones primas, proprietatesque reales hunc in modum, substantia prima est, quæ primò subsistat accidentibus, secunda, quæ postea: quemadmodum enim prius exiit in rebus prima & indiuidua substantia, quàm secunda, & vniuersalis (idcirco namque existit homo v.g. quia Petrus, aut Paulus aliisue in particulari, cum non sit reperire ideas illas, ac rationes vniuersales à singularibus separatas, & sine eis existentes, quas, vel posuit Plato, vel certè fingitur posuisse) ita etiam prius altera, quàm altera subsistat accidentibus, vnaque munere, & beneficio alius, & non è conuerso. Sotus in logica cap. de substantia, Caietanus, & Louanienfes malunt, membra illa diuidere instantiam in cõmuni penes solas intentiones secundas, proprietatesque intellectuales, ac rationis; hoc pacto: substantia secunda, est ea, quæ prædicatur, aut est prædicabilis de pluribus: substantia prima, est quæ tantum subiicitur, aut est nata subiici rationi communi. Auerſa q. 16. logicæ sec. 2. §. alio modo docet, substantiam primam primò intentionaliter sumptam, & substantiam secundam secundò intentionaliter sumptam discindere substantiam in communi, hoc ritu: substantia prima est, quæ est ex parte rei multiplex, & vna, secunda verò, quæ per intellectum est vna, non tamen sine reali multiplicitate, supra quam unitas intellectualis recidat. Dicendum est his tribus modis primam, & secundam substantiam diuidere posse substantiam in communi, vbi ea sit capax propriæ diuisionis.

Ultèrius sciscitaberis circa diuisionem ipsam; an sit vniuoca, vel analogica? Caietanus, & Albertus in præſenti Sotus ac Toler. q. 1. Masius sec. 2. q. 3. Rubius q. 4. Auerſa q. 17. log. sec. 2. circa medium docent esse analogam: Sed verius est, quod ait P. Suarez citata disp. & sec. num. 21. & 22. & Tartaretus cap. de subst. esse vniuocam: Etenim vtrique substantia propriè participat rationem substantiæ, & sicut homo v.g. dicitur simpliciter substantia, ita etiam hic homo: quambrem merito B. Thom. in primum dist. 23 q. 1. art. 1. ad primum omne, quod est in genere substantia potest dici vna siue sit substantia vniuersalis, siue particularis: ahunde verò substantia utrique communis est vna, non solius vocis, si d rei unitate, ut supponitur: ergo substantia est vniuoca respectu vtriusque: haud secus, ac animal diuiditur vniuocè in hominem, & equum, quoniam alteruter vnam rationem animalis propriè participat.

26 Quod autem aduersariorum aliqui opponunt; substantiam dici per prius, & posterius de prima, & secunda, analogiam haud concludit, ut patet ex iis, quæ suprà dicta sunt inter tuendam vniuocationem entis respectu Dei, & creaturarum, ac substantiæ, & accidentis. Quod rursus alij obiciunt; idcirco substantiam primam dici talem, quoniam subsistat secundæ, eique in prædicatione subiecta est directè, ac velut ratio inferior, adeoque propter habitudinem quandam ad illam; vnde videtur effici, substantiam vtriusque intuitu esse analogam; sicut, quia sanum dicitur de medicamine propter habitudinem ad veram hominis salutem, ea de causa est analogum contemplatione

contemplatione vtriusque; hoc inquam nihil vrger. Nam tamen vltro demus, substantiam primam dici primam, quia substat secunda, non tamen dicitur propter eam habitudinem substantia absolute, sed quia definitio substantie ei verè competit.

27

Deinde siscitaberis circa eandem diuisionem; quopacto sit inæqualis, an vè prima substantia sit magis substantia, quàm secunda, vel è conuerso? Aristoteles enim vtrūque videtur asserere diuersis in locis: primæ siquidem substantiæ primas defert in prædicam. cap. 5. & in metaphysica lib. 3. & 7. at secundam præfert lib. 8. metaph. text. 2. Proclive sed enim est, philosophum sibi conciliare, ac litem hanc, qualem qualem, dirimere; namque substantia essentialiter sumpta, & penes quidditatum eius conceptum magis participatur à secunda, quàm à prima: cæterum penes actuale exercitium existendi per se, aut substandi accidentibus, aut terminandi subsistentiam, aliudve munus substantiæ proprium magis conuenit primæ, quàm secundæ. Ratio vtriusque est; quoniam id dicitur magis tale, quod est immediatè tale, quàm quod tantum mediatè; quo pacto magis amatur salus, quàm Medicamentum, quoniam illa immediatè & propter se, hoc verò mediatè, & propter illam, est obiectum amoris: & quæ ratione parietis albedo conspicitur magis, quàm eius substantia, quoniam hæc ea solum mediata videtur. At secunda substantia, videlicet corpus, est immediatè substantia quidditati sumpta: hæc enim proximè diuiditur in corpoream, & spiritualement, siue incorpoream, atque in serie prædicamentali primò enunciat de corpore ac deinde de viuenti, animali, & homine, ac tandem de Petro, v. g. aut quavis alia singulari, & prima substantia. Contra verò isthac mediata tantum participat conceptum essentialem, & quidditatum substantiæ, propterea quòd ab infimo gradu ad supremum non sit ascendere, nisi per intermedios, vti in descensu, cui respondet ascensus, proximè visum est: hoc ergo ex titulo secundæ substantiæ est magis substantia, quàm prima, imò etiam inter secundas alie magis, quàm alie, prout videlicet ad generalissimam rationem substantiæ magis accedunt. Quod si vsurpetur substantia posteriori modo eorum, quos meminimus supra, res se habet è similitudine: siquidem prima, ac singularis substantia primò, & immediatè existit actu, substatque accidentibus, & completur per subsistentiam, secunda verò non nisi ratione primæ, eaque mediata: cum enim nihil existere possit, nisi in singulari, atque impossibile prorsus sit vniuersale separatim re vera à quouis indiuiduo, in tantum existit homo, v. g. aut quidpiam exercebit actu, quantum Petrus vel Paulus, alijsue particularis homo fortitur existentiam, aut alicuius rei actuale exercitium, & non è contrariò: quod argumento esse potest, substantiam hoc sensu magis competere primæ, quàm secundæ. Atque ita ferè Suarez, Auerſa, & communiter alij. Quatenus autem hæc Doctrina nullam arguat analogiam substantiæ, respectu vtriusque, de qua sermo, ostendetur inferius in simili lib. 5. tract. 2. cap. 3. ad finem.

28

Denique circa eandem diuisionem quæres, an sit essentialis, vel potius accidentalis & si est accidentalis, quo pacto. Dicendum est primo iuxta doctrinam Centeri, Burlæi, Soti, Caietani, Sanchez, in præsentia q. 8. & Ioannis à S. Thoma q. 15. art. 2. §. ex quo tandem, ac Raphaelis de Auerſa loco superius citato §. est diuisio, eam diuisionem ita sumi posse, vt sit subiecti in accidentia, talisque substantia, alia est

vniuersalis, ac prædicabilis de pluribus, alia particularis, ac subiicibilis tantum, siue, quod instar est, alia prius accedens intentionale, & alia posterius subiect. Dicendum est secundò iuxta doctrinam etiam Ioannis à S. Thoma, & Auerſa vbi supra, quam etiam indicat Suarez laudata disp. & sect. num. 11. diuisionem illam ita accipi posse, vt sit accidentis in subiecta, huiusque modi: proprietates accidentales substandi accidentibus, aut conuenit primæ substantiæ, aut secundæ, vel quod eodem recidit, substantia, prout recipiens accidentia, aut est prima, aut secunda. Dicendum est tertio iuxta doctrinam Louanienſium, & aliorum quorundam, sic eam vsurpari posse, vt sit accidentis in accidentia, atque hæc substantia accidentaliter, & penes secundas intentiones, seu modos intentionales sumpta alia est, quæ subest intentioni prædicabilitatis, alia quæ intentioni solius subiicibilis. Quarto dicendum est iuxta sententiam complurium authorum, quorum aliquos haud ita pridem citauimus, eam diuisionem ita sumi posse, & solere, vt sit essentialis, siue rationis communis per differentias ei quidditativas prorsus. Ratio est, quia tamen accidentia intentionalia, nimirum prædicabile de pluribus, & pluribus subiicibile tantum, substantiæ secundum se sumptæ accident, cæterum ei sunt essentialia, si sumatur, non secundum se, sed prout subest alicui intentioni præscindendo, an ea destinata sit vniuersalitatis, vel particularitatis. Hoc pacto cum diuiditur coloratum in album, & nigrum diuisio est essentialis, si duæ posteriores denominationes comparentur cum priori ab eis abstracta, accidentalis verò, si tum posteriorum, tum etiam prioris fiat comparatio cum subiecto, quod eas denominationes suscipit.

29

Iterum dissecatur substantia in completam, & incompletam, corpoream, & incorpoream, corruptibilem siue sublunarem, & incorruptibilem, cælestemve. Controuerti autem solet hic, num substantia, prout abstracta ab iis omnibus differentiis sit primum prædicamentum, siue supremum illud genus, vnde cæterorum incipit syllabus; an potius sola substantia completa, eaque corporea, & corruptibilis. S. Thomas 1. p. q. 86. art. 3. & in secundum dist. 3. q. 1. Soncinas 7. metaph. q. 39. Egidius Romanus in primum dist. 8. q. 3. & communiter alij Thomistæ. Fonseca, 5. metaph. cap. 8. q. 2. & 3. Suarez disp. 33. metaph. sect. 1. num. 22. Auerſa q. 17. log. sect. 3. conclus. 2. Ochamus in primum dist. 8. q. 2. ac plures alij nominalium docent substantiam completam, dumtaxat esse prædicamentum substantiæ: quare in eo indirectè, ac solum reductitiè collocari materiam, & formam, atque vnionem, quippe de quibus prædicari nequit substantia completa, tamen ad eam velut illius partes reuocentur quodammodo. Cæterum Venetus in metaph. sua cap. 4. Ammonius, Boetius, Simplicius, Villapandus, & Louanienſes cap. de substantia, Holcor in primum q. 6. Zimara 7. metaph. Theoremate super textum. 8. censent substantiam prout abstractam à completa, & incompleta esse prædicamentum, quo de loquimur, ac proinde in eo collocari directè substantias incompletas, ac partiales, cum nulla earum non sit substantia simpliciter, & absolute.

30

Rursus alij, inter quos Albertus, Egidius, & Plotinus, maiori cum restrictione loquuntur, aiuntque substantiam corpoream tantum esse hoc prædicamentum, adeoque Angelos ab eo excludi quin etiã Commentator lib. 10. metaph. com. 26. & in logica cap. de specie Iamblicus lib. 2. de mysteriis, Aegyptiorum cap. 2. Iandunus 10. metaph. q. 22. Suetius

nus disp. 9. Porphyrius, Boëtius quidam, & archytas apud simplicium in præfenti, necnon Vallius noster cap. 5. de substantia quæst. 2. adhuc rem magis premunt, restringuntque: sunt enim in ea sententia, ut existiment, substantiam corpoream corruptibilem duntaxat constituere hoc prædicamentum, corpora verò caelestia, tam ei non subiaci, quam non sunt corruptioni subiecta. Cæterum B. Thomas, Caietanus Soccinatus, Sorus, Alenlis, Durandus, Barlaeus, Henricus, Suarez, Fonseca, Toletus, Rubius, & plerique alij scholastici malunt substantiam, prout est superior corporea, & incorporea, corruptibili, & incorruptibili, esse prædicamentum substantiæ, cuiusque supremum genus.

31

Quantum ego sentio, totalis est de vocabulo, eaque parui momenti: potest autem ita disceptari. Prædicamentum aliud est physicum, aliud metaphysicum, uti supra tract. cap. 1. declaratum est. Prædicamentum priori modo sumptum plures condiciones admittere potest, eaque inter, ut quod in eo collocatur, sit quippiam completum, ut indicat ultima pars distincti loco nuper memorato positi: *finita realia tota*, ubi totalitas complementum denotat in eo, quod est in prædicamento, præsertim, si sit de substantiis sermo: deinde, ut quod in prædicamento eiusmodi constituitur, sit corporeum, & corruptioni obnoxium, quod tamen adeo certum, ac receptum non sit, uti primum illud; at est satis verisimile: hoc autem sensu evidens est, prædicamentum substantiæ, unde cætera novem accidentium velut rivuli à suo fonte dimanant, esse substantiam, non qualemcumque, sed completam, corpoream, & incorruptibilem, & in eo tantum indicari locari substantias incompletas cuiusmodi sunt, materia, forma, & unio, aut si mauis, partes integrantes. v. g. caput, cor, &c. necnon incorporeas, atque etiam corporeas, incorruptibiles caelestiales.

32

Prædicamentum priori modo usurpatum conditionibus multis adstringi renuit, ac potius ab eis libertatem amat; unde primum omnium est substantia, prout abstrahitur à completa, & incompleta, corporea, & incorporea, corruptibili, & corruptionis exparte quamobrem in eo directè locum habent substantiæ omnes, siue complementum habeant sibi debitum, siue sint eo destitutæ, & siue sint spiritus, siue corpora, ac denique, siue corruptionem admittant, siue sint corrupti necesse. Porro autem, quæ substantiæ non sunt directè in hoc prædicamento, de quo disputamus physicè sumpto, nihilominus sunt in nullo indirectè, & reductiè, ut insinuat paulo antea: excipiendus tamen est ab hac regula Deus, quem supra tract. cap. 1. statuimus haud esse in prædicamento substantiæ physico, & ætiori eius intellectu: reicitur enim ab illo: non directè tantum, ut ibi posuit, sed etiam reductiè: quoniam, ut arguunt Richardus de Media villa, & ex eo Rodensis; quod reducitur ad aliud est eo imperfectius: quo pacto dici solet de puncto, reduci ad quantitatem, cuius est initium, quoddam, quia eius molem, & perfectionem non attingit; & privationem ad prædicamentum formæ, qua priuat, eo quod eius perfectionem non includat, sed potius excludat: Deus autem infra nullius prædicamenti perfectionem est, et si quod non ingreditur, magis est propter excessum perfectionis, quam ob eius inopiam, ad nullum ergo reduci sustinet.

33

Hinc etiam solui facile est dubium quoddam de prima, & secunda substantia in hunc locum de industria remissum: etenim disquiri solet, num in substantiis incompletis locum habeat divisio substantiæ in primam, & secundam: Negant Soccinas

7. metaph. q. 39. Ioannes à sancto Thoma 2. p. q. 15. art. 2. §. *nihilominus*, parum ab initio, & communiter alij Thomistæ: affirmat vero simpliciter cap. de substantia: distinguit autem Boëtius quidam apud simplicium loco iam citato, atque, materiam esse primam substantiam si sumatur in particulari, finem autem in communi; secundam: neutram verò locum habere in forma. Verius tamen est, si substantia diuisa in primam, & secundam accipitur late, & cum abstractione à quavis, & cuiusvis conditionis, ita quidem substantiam incompletam, quæcumque sit: esse posse primam, & secundam, prout nimirum est vniuersalis, aut singularis: cæterum, si diuidatur strictius sumpta, & quatenus est prædicamentalis, cum solam substantiam esse posse primam, & secundam, quæ esse sustinet in prædicamento, & quatenus in eo esse sustinet: quare, cum omnis substantia siue incompleta siue completa esse queat in prædicamento metaphysico, omnem esse primam, & secundam quatenus hæ substantiæ metaphysicè prædicamentalem diuidunt: contra verò, cum substantia incompleta esse non valeat in prædicamento physico, nullam id genus esse posse primam, & secundam, prout hæ substantiam physicè prædicamentalem dispeſcunt.

CAPUT VI.

Explicantur proprietates substantiæ.

34

Non quidem omnes, id enim esset infiniti, & supervacui laboris, at eæ quas tradidit Aristoteles cap. 5. de prædicam. & quas ab eo traditas cæteri dialectici pleno, & vniuersali receperunt consensu. Prima ergo proprietas substantiæ est, non esse in subiecto id est ei non inherere: subiectum autem inhesionis adeo debitum esse substantiæ in communi, ut nulla prorsus esse in eo possit etiam diuinitus; tueretur Baltazar Tellez disp. 53. metaph. sect. 2. num. 1. & apud eum, Suarez Conimbr. Fonseca, & Atriaga. Cæterum probabilius est cum Gabriele in canone sect. 44. §. ad argumenta, saltem de potentia Dei extraordinaria fieri posse, ut aliquæ substantiæ inhæreant, quin etiam modò ac iuxta naturalem, præsentemque rerum ordinem id euenire ostensum est superius cap. 1. huius tractatus.

35

Quocirca dicendum est proprietatem illam non esse substantiæ, ut sic, ac latissime fusa, sed solius substantiæ completæ, cuiusmodi est homo, equus, &c. nulla enim est eiusmodi quæ inhæreat subiecto, aut possit. Quamuis autem ea proprietas conveniat omni substantiæ completæ, non tamen soli, adeoque est secundo modo eorum, quos enumeravit Porphyrius in quarto prædicabili: tum quia non competit ei quæ est incompleta, ut iam dictum: tum, quia relatio similitudinis v. g. Petri, & Pauli in ratione hominis est verum accidens prædicamentale, cum tamen non hæreat, aliàs esset inhesioni obnoxium fundamentum, necnon terminus, à quorum non distinguitur substantia: tum, quia non pauci admittunt, actionem creaturam modalem à voluntate Dei distinctam, atque etiam à termino, & huic adhærentem, non verò inhærentem, ne videlicet eo sit prior natura simulque posterior; prior, quia eius effectiua actio posterior ob dependentiam ab eo in genere causa materialis: tum denique, quia plures cum Durando in primum dist. 33 q. 1. volunt modos omnes accidentarios non inherere proprie loquendo proprietati loquendo propter defectum distinctionis realis absolute